

Privilegiorum Vixæ vocis oraculo Concessorum revocatio.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alia fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster, ut subnaſcentibus jugi et variis difficultatibus, & abutious ex privilegio à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpe numero concessis, obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis: videlicet, Gregorius Papa XV. ad Perpetuam rei memoriam.

Rom. Pontifex in specula militantis Ecclesie Divina Providentia constitutus, gratias, & indulgètia à se, & Prædecessoribus suis concessa iustis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, Privilegia, gratias, & concessionis quascunque spirituales, & Ecclesiasticas, quæ tam ad forum interius, quàm ad exterius spectant, actam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hæcenus quodcumque, & qualitercumque, ex quavis etiam de necessitate, exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, societatibus JESU, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respectivè præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatiſ, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus, quocumque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediate subiectis, cujuscumque dignitatis, præminentie, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessa, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore presentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassa, subrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuo fore, & esse, neque impoterum cuiquam suffragari posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus: firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus idem S. R. E. Cardinales Testimonium in scriptis præbuerunt, decernentes præsentis litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocat, & audit si non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui, ad jus, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & nuncios (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatiſ, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & suffi-

cienter expressis, & ad verbum insertis habentes (illis aliis in suo robore permanentibus) hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quòdque eadem præsentis litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant ac si uniuersis Personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, sub Annulo Piscatoris. Die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri Anno secundo.

S. Cardinalis S. Susanne.

Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessionibus, & gratias vivæ vocis oraculo etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas sæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari, idcirco quantum cum Domino possumus, his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de Consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commissimus omnia, & singula Privilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque, per summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Provincialibus ceterisque Superioribus, & Personis cujusvis Ordinis, Congregationis, instituti, & societatis sive sæcularibus sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, institutis, & societatibus, etiam Societatis JESU, aut ejus clericis, seu Presbyteris, aliisque Personis prædictis quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, aut aliis quomodolibet concessa, illorum, tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore presentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.

Præterea, ut præsentis litteræ omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & institutorum, sub excommunicationis, & privationis officiorum, & dignitatum, nec non vocis activæ, & passivæ penis ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infra tres menses proximos à die publicationis presentium computandos, omnes, & singulos Provinciales eorumdem suorum ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & institutorum, de eisdem presentibus litteris certiores faciant. Earundemque presentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem penis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium præcipere, ut eisdem præsentibus subditis suis ut moris est, publicent.

Decernentes præsentis litteras, etiam ex eo: quòd quicumque in præmissis, interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & audit si non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, ad jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, sive adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate,

te, & auctoritate) judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præsentibus litteris hujusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit etià Regula nostra de non tollendo jure quæsitò privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Cardinal. ac Ordinibus, Congregationibus, institutis, & Societatibus eorumque superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quòdque eadem præsentis litteræ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ hujusmodi similiter affixæ omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si uniuersis Personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Decembris 1621. Pontificatus nostri Anno nono.

M. Antonius Maraldus.

Die, & Anno supradictò affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie campi Floræ aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalatum Sanctiss. D. N. Papæ Curforem.

Hec Bulla habetur in Theologia radicali Joannis Maria Sbogari tr. 136.

Professio fidei Catholicæ.

Bulla Pii IV. continens formam juramenti Professionis Orthodoxæ fidei, quæ observari præcipitur à provis. de Beneficiis, ac dignitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Ordinum regularium, & Militarium.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctum Nobis Apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus Omnipotens, ad providam Ecclesiæ tuæ directionem sanctis Patribus in Nomine suo Congregationis divinitus inspiratè dignatus est, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem, omnes, quos deinceps Cathedralibus, & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, curam animarum habentibus, providi continget; publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiæ obedientiam permanens spondere, et jurare teneantur. Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, domibus, & aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium quocumque nomine, vel titulo, providebitur, idem servari, & ad hoc, ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, uniuersis, & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam presentibus annotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex Decretis ipsius Concilii, & alios prædictos spectat, recipi, & observari, ac sub penis per conc. ipsum in contravenientes latis juxta hanc, & non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri auctoritate Apostolica, tenore presentium distictè præcipiendo mandamus, hujusmodi sub tenore.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, Suppl. Theol. Sacram.

quæ continentur in symbolo fidei, quò S. Romana Ecclesia vicitur, videlicet.

Credo in unum DEUM, Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & terræ, visibilibus omnium, & invisibilibus. Et in unum Dominum JESUM Christum, Filium DEI unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, DEUM de DEO, lumen de lumine, DEUM verum de DEO vero: Genitum, non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cælis: Et incarnatus est de spiritu sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: Et resurrexit tertia die secundum scripturas, Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum Gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis: à JESU Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria scilicet Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptisma, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacrosan. Trid. synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in missa offerri DEO, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, unam eum animam, & divinitatem Domini nostri JESU Christi, hincque conversionem totius substantiæ panis in Corpus & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum verumque Sacramentum summi. Constantè teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; Similiter, & Sanctos, unam cum Christo regnantes, venerandos esse, eosque orationes DEO pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac DEIPARÆ Virginis, nec non aliorum SS. habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanòque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac JESU Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à sacris omnibus, & ecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Trid. synodo tradita definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem inviolatam, usque ad extremum vitæ Spiritum, constantissimè, DEO adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia. Volumus autem, quòd præsentis litteræ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur: & ut omnibus facilius pateant, in ejus quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario

contare. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, 1564. idibus Novembris. Pontificatus nostri Anno quinto.

Fed. Cardinalis Cæsius. Cæs. Glorierius.

Hæc Bulla habetur in Bullario Ckerubini, to. 2. pag. 129.

Propositiones Damnatæ.

Decretum S.S. D. N. Alexandri Papæ VIII. Die 24. Aug. 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui dolore audiit duas Theses, seu propositiones, unam denud, & in majorem fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, & cum sui Pastoralis officii munus sit, oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, deinde Eminentissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries re maturè discussa infrascriptis Thesibus, seu propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim expulerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum Regula morum; ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretat. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vite sue moralis.

II. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens nature rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale, est transgressio libera Divinæ legis: Philosophicum quantumvis grave in illo, qui DEUM, vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensiva DEI, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam DEI, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis sanctissimus, omnibus plenè, & maturè consideratis primam Thesim, seu propositionem declaravit Hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, et eorum fautores in jure expressis, secundam Thesim seu propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam, et uti talem damnandam, et prohibendam esse, sicuti damnat, et prohibet, ita, ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper ditricte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam specialis, ac specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim seu propositionem ad praxim deducant.

Decretum Alterum

S.S. D. N. Alexandri Papæ VIII. Die 7. Decembris 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander Divina providentia Papa VIII. Prædictus, pro Pastoralis curæ omnium à Christo D. sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciofa in pravus doctrinæ exhibita vitare, unius supra triginta propositionum examen pluribus in Sacra Theologia, Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia sanctitati suæ singillatim detulerunt.

Propositiones autem infra scripte videlicet.

I. In statu nature lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

II. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris nature, hæc in statu nature lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

III. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

IV. Dedit semetipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

V. Pagani, Judæi, Hæretici, & aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

VI. Gratia sufficiens status nostro, non tam utilis, quàm perniciofa est, sic ut proinde merito possimus petere, à gratia sufficienti libera nos Domine.

VII. Omnis humana actio deliberata, est DEI dilectio, vel mundi; si DEI, charitas Patris est, si mundi concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

VIII. Necessè est in omni opere peccare.

IX. Kevera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad DEUM offensum respectu.

X. Intentio, qua quis delectatur malum, & prosequitur bonum, merè ut celestem obtineat gloriam, non est recta, nec DEO placens.

XI. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, que per dilectionem operatur, peccatum est.

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam si videantur credere, non est fides Divina, sed humana.

XIII. Quisquis etiam eterne mercedis intuitu DEO famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

XIV. Timor gehenne non est supernaturalis.

XV. Atristio, que gehenne, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentie DEI propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politica, aut institutio Ecclesie, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dicente.

XVII. Per illam praxim mox absolvendi, ordo Penitentie est inversus.

XVIII. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Penitentie, etiam si tam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis auctoritas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

XIX. Homo debet agere tota vita Penitentiam pro originali peccato.

XX. Confessiones apud Religiosos facta, pleraque, vel sacrilega sunt, vel invalida.

XXI. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Elemosinis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua Penitentia, seu satisfactione, ob questum, seu lucrum subsidii temporalis.

XXII. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam præcedunt, antequàm condignam de delictis suis Penitentiam egerint.

XXIII. Similiter arcendi sunt à sacra communione, quibus nondum inest amor DEI purissimus, & omnis mixtionis expertus.

XXIV. Oblatio in templo, que fiebat à B. MARIA in die Purificationis sue per duos pullos colambarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter restantur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerrebat, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis.

XXV. DEI Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

XXVI. Laus, que deferretur MARIE, ut MARIE, vana est.

XXVII. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris &c. prætermisiss illis, ego te baptizo.

XXVIII. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendendo facere, quod facit Ecclesia.

XXIX. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

XXXI. Bulla Urbani VIII. In Eminentem, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas propositiones tamquam temerarias, scandalosas malè sonantes, injurias, hærési, proximas, hærésim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas, respectivè esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet, ita, ut quicumque illas aut con-

conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publice aut privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit, (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper ditricte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, & status, etiam specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas, approbare.

Hæc duo Decreta videri possunt in Theologia radicali Joannis Mariae Sbojar, in principio.

Propositiones Bajanae.

Primitus damnate à S. Pio V. papa.

Pius Episcopus servus servorum DEI,

Ad futuram rei Memoriam.

EX omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino constituit, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animus nostrum præcipuè excruciat dolor, quod Religio Christiana tantis jam pridem propositis opinionibus constitetur, Christianique populus antiqui hostis suggestionibus dissecetur, in alios, atque alios errores, passim, & promiscue deferatur. Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illa, simul atque prælitant penitus opprimantur: magno enim mœrore afficimur, quod plerique spectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ in varias lententias offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; denique eis etiam in scholis invicem controversantur; cujusmodi sunt sequentes.

I. Nec Angeli, nec primi hominis ad huc integri merita, rectè vocantur gratia.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis eterne meritum, sic bonum opus ex natura sua est vite eterne meritum.

III. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitam, felicitas esset merces, & non gratia.

IV. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera lege nature, ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione facta Angelo, & primo homini continentur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam pertransiret, in qua mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita fuerunt prima creatio: nis munera; Sed juxta modum loquendi scripturæ sacra non rectè vocantur gratia, quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

IX. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, que per JESUM Christum malè meritis, & indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, que illis redduntur, gratia dici debet.

X. Solutio pœne temporalis, qua peccato dimisso, sæpe remanet, & Corporis Resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.

XI. Quod piè, & justè in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ, sed ordinationi naturalis, statim initio creationis constitutæ, jussu DEI judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut jussu DEI judicio obedienter mandatorum vitam æternam reddatur.

XII. Pelagii Sententia est: Opus bonum citrà gratiam Adoptionis factum, non est regni celestis meritum.

XIII. Opera bona à Filiis Adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod sunt per Spiritum Adoptionis inhabitantem corda filiorum DEI, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

XIV. Opera bona iustorum non accipiunt in die judicii externi ampliore mercedem, quàm jussu DEI judicio mereantur accipere.

XV. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum sed in eo solùm, quod obedit Divinæ legi.

XVI. Non est vera legis obedientia, qua fit sine charitate.

XVII. Sentunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam Adoptionis sublevetur ad statum Deificum.

XVIII. Opera Catechumenorum, ut fides, & penitentia ante remissionem peccatorum facta sunt vite eterne meritum, quam vitam ipsi non consequuntur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Opera justitiæ, & temperantiæ, qua Christus fecit, ex dignitate persone operantis non traxerant majorem valorem.

XX. Nullum est peccatum ex natura sua veniale sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

XXI. Humane nature sublimitas, & exaltatio in consortium divine nature debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de entibus, fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, donò quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem nature fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate DEUM supernaturaliter coleret.

XXIV. A vana, & otiosa hominibus secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ à Pelagianismum rejicienda est hominem ab initio sic constitutum, ut per dona natura superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in DEI filium adoptatus.

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum vitia sunt vitia.

XXVI. Integritas prima creationis non fuit indebita humane nature exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

XXVII. Liberum arbitrium sine gratiæ DEI adjutorio, non nisi ad peccatum valet.

XXVIII. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium non valet ad ullum peccatum vitandum.

XXIX. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & osium, veritatis, & vite negant; sed etiam quicumque, aliunde, quàm per ipsum in viam Justitiæ (hoc est aliquam Justitiam) conscendere posse docent.

XXX. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

XXXI. Charitas perfecta, & sincera, que est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Carbunculis, quàm in penitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, que est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Carbunculis justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata DEI observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, que in Baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo DEUS amatur, ut auctor nature, & gratiæ, quo DEUS amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniiis excogitata.

XXXV. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus nature exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humane, cum injuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentiunt, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex nature solis viribus ortum ducit, agnoscit.

XXXVIII. Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitiosus est cupiditas, qua mundus diligitur, que à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, DEUS amatur.

XXXIX. Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit.

XL. In omnibus suis actibus peccator servit Dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

XLII. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, que est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium DEI, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ nature confors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vive-